

Tim. cœlum ignis est et astra cœli densiores partes sunt, nimirum efficitur, ut ignis densiores partes sint, et ignea. Esse autem ætherem, et cœlum ignem, Anaxagoram putasse affirmat alibi. Sed huic Plutarchus addit alios Thaletam Anaximenem, Empedoclem. Quibus nos et Heraclitum addemus, et Platonem. Qui affirmat, Opificem divini corporis plurimam ideam ex igne confecisse, ut lucentissimum esset, et visu pulcherrimum. Quem ignem cavillator hic, de coelo, ubi visibilis, et erat, et adhuc est, detraxit, et sub coelum, ubi nemo eum umquam vidit, reposuit, sensum secutus nullum. De qua re postea suo loco. Parmenides quoque vetustiorum sententiam comprobavit, cuius carmina in hanc rem, quia rara sunt inventu apponimus.

Ἀντία δεκρίνατο δέμας, καὶ σήματ, ἔθεντο
χωρίς ἀπ'ἀλλήλων, τῇ μὲν φλογὸς αἰθέριον πῦρ.
Ἦπιον ἂν μεγαραιόν, ἔλαφρὸν, ἑαυτῷ παντοτε
τῶυτόν

“Contra posuit faciem, et corpora posuit.
Seorsum a se ipsis, hæc quidem flammæ æthereum ignem.
Lenem, valde rarum, levem, sibi undique
eundem.”

Æther ergo universus ex veterum Græcorum sapientia, ignis est. Ex quo æthere, densiore facto, cum astra omnia sint facta, ignes esse ipsa astra, ex hoc dogmate nemo dubitabit. Nam et Solem esse ignem, idem cecinit Parmenides.

Καὶ καθαρᾶς, ἑυαγέος ἡελίοιο, λαμπάδος.

“Et puræ, sinceri solis, lampadis.”

Dogma autem hoc vetustissimorum Zoroastreorum Magorum prius fuerat. E quorum *Oraculis*, hæc, quæ a paucis leguntur ob raritatem, huc adscribam. De stellis:

Ἐπηξε δὲ πολὺν ὄμιλον ἀσέρων ἀπλανῶν.
Τὸ πῦρ πρὸς τό πῦρ ἀναγκάσας.

“Compegit multum cœlum stellarum inerrantium.
Ignem ad ignem cogens.”

Solem quoque ignem esse voluit, dum canit:

Ἐξ ανακρεμασας ζώνας ἑβδομον ἡελίου.
Μεσεμβολήσας πῦρ.

“Sex suspendit Zonas, septimum Solis.
Medium ponens ignem.”

Quem etiam vocat:

πῦρ πυρὸς ἐξοχέτευμα, καὶ πυρός ταμίας.

“Ignis, ignis derivatio, et ignis pœnu.”